


P III 42 Q





7

EXEQVIAE.
HONORI ET
MEMORIAE DIVI IV-
LII, DVCIS BRVNSVICEN-
SIS ET LVNAEBVRGII,

&c.

Factæ

Auctore

M. HENRICO MEIBOMIO,
acad. Iulæ professore.

11. Iunij.



Basilii Homilia ad Dicit.

Pietas pulcerrimum, eptaphium.

HELMESTADII
ANNO MD. IO. LXXXIX



HENRICO IVLIO
ATESTINO,

DIVI IVLII FILIO,
HALBERSTADENSIVM EPI-
SCOPO REVERENDISSIMO,

BRVNSVICENSIVM ET LV-
NAEBVRGENSIVM DVCI
potentissimo,

PRINCIPI INCOMPARABILI

&
Patri patrie,

Domino suo clementiss.

DD.
M. HENRICVS MEIBOMIVS.

*Nicephorus Callistus Ecclesiastica historia
lib. 18. cap. 6.*

*Pulcerrimum decedentis principis Epitaphium
successor bonus.*

PARENTALIA.



Vrea purpurei redierunt tempora Veris,
Et nunc letus ager, nunc omnis parturit
arbos:

Iam pater omnipotens pluuijs genialibus
æther

Coniugis in gremium descendit, & omnia viuo
Facta calore facit: volucrum genus aëra mulcet
Cantibus, & tepidos ponit super arbore nidos:
Omnia nunc florent, nunc formosissimus annus.

Heu nimium miseros! quibus isthæc gaudia lætus
Eripit, ac tantis naturæ dotibus uti

Inuidet: omnia dum letantur, & vndiq; plausu
Terra sonat, nobis turgescunt lumina fletu.

Ridet ager, sed mæret homo: concentibus æther
Personat, at duro turbantur mœnia lætu.

Heu nimium miseros! quibus hæc fortuna creauit
Indomitusq; rigor fati. satiùsne fuisset

Perdere nos omnes numeroq; explere furorem?
Dummodo pars melior regioni salua fuisset.

Antè malum hoc nobis, si mens non cæca fuisset,
Prædicere quidem magnorum crebra Virorum

Funera, qui viui curam cum laude gerebant
Communis patriæ, gnari discrimine nato

Consulere in medium, & studio præuerrere damnum.
Hos proceres, patriæ soles, fidasq; columnas,

E

Abstu



Abstulit ira Dei scelerum commota reatu.
Fleuimus extinctos, sed non superauimus aestum
Numinis, obiectu vitæ melioris, & acri
Delictorum odio: sic irritatus iniquis
Criminibus furor adiecit maiora priori
Damna malo, nostrumq; caput diademaq; nostrum
Heu caput augustum, heu diadema insigne, superbum!
Inuidit terris, & acerbo funere mer sit.

Hocne frequens imber, hoc fulmine crebra notabāt?
Quæ pater omnipotens cælo vibrabat ab alto:
Sæpius hoc ruptis conspecti nubibus ignes?
Nos stragem syluis, inimicaq; frugibus almis
Damna timebamus, tonitru ne forte perirent
Et pluuia ingenti sata læta boumq; labores.

Maius erat grauiusq; malum, quod fata parabant.
Dum curæ ambigua, dum spes ignara futuri,
Inuasit thalamos penetralia nostraq; clades.

Heu lacrymosa dies tanti quæ conscia luctus!
Heu planctus gemitusq; parens! heu tristitia portans
Omina! tu verni de formas temporis auram:
Tu capitis nostri tollis inimica coronam:
O dolor, ô nullis æqua infortunia damnis!
O desiderium nunquam satiabile! rerum
O iactura grauis! quis talia mente reuoluens
Amplius in terris cupiat producere vitam?
Quem non conficiat facies tam sæua malorum?

Ergo iaces animose parens? nec te tua virtus,

Nec

Nec pietas texere senem, nil profuit ortus
Stemmatis augusti, nil publica vota precesq?
Mors superanda fuit moriendo; semelq; premendum
Infectæ graue carnis iter; quærenda salutis
Ianua per lethum; fors heu communis in orbe
Omnibus ista cadit! quæ nunc tibi præmia functo
Proq; opera meritisq; tuis in funere soluam?
Tu genitor, tutorq; bonus, tu numen, asylum:
Tu decus & famæ meritò pars maxima nostræ.
Si quid inest artis nobis, & si qua facultas
Ingenio linguæq; meæ, tibi seruiet vni.
Has laudes plaususq; tibi, dum vita superstes,
Instaurabo libens, neq; spero vincar ab vlllo.

Vnde sed auspiciam mihi carminis, vnde laborem
Ordiam, & tantis ducam primordia rebus?
Quæ quibus anteferam? Non stemmata prisca, nec ortus
Illustres repetam nostris cantata Camænis
Sæpius, expediam tua facta, ingentia facta,
Facta quibus superas atavos, proavosq; potentes.

Quis neget? est aliquid fines producere; partis
Addere parta recens; dare iura patentibus oris;
Vincere non vinci; metui nullosq; timere.
Hæc tibi cum proavis communia, sola sed illa
Laus tua, deseruire Deo, sanctumq; fouere
Relligionis opus; ne sordibus illa nefandis
Oblita, patronoq; carens ludibria mundi
Inter inhumanos ferret miserabilis hostes.

Maiores persæpè tui duxère triumphos
Hostibus edomitis, tua sed victoria longè
Splendidior, quæ barbariem, quæ Romula monstra
Opprobrium mundi, scelerumq; infame Lyceum,
Errorumq; chaos nulli tolerabile vicit.

Vix erat orta tibi Princeps generose iuuenta,
Barbaq; crescebat rutilus subnexa capillis.
Continuò cæli tibi gratia largior alti
Affulsit, veriq; Dei cognoscere cultus
Atq; voluntatem licuit, spiramine motu
Notitiam firmante sacro, nebulasq; fugante;
Quas peperit nostris primorum noxa parentum
Cordibus, & Satanas technis furialibus auget.
Nec minus infectæ nutrit lasciuiæ carnis.

O tum quanta tuo surgebant gaudia cordi!
Nubila cum mentis mutares sole, tenebras
Lumine, cum vetitos ritus infandaq; sacra
Inciperes penitus demto cognoscere furo.

Non tulit hæc Satanas, cuius sub numine Roma est,
Ausonijq; patres, Lemures, rasq; Luperci,
Heu genus inuisum! quibus est pro numine venter.

Ergo suas artes adit, & molimina tentat
Subdola, quæis olim patris de numine natum,
Tum verò humanam massam sine labe gerentem,
Christum adiit fallax, inter spelea ferarum.
Ne tamen hæc quisquam notet, & detecta patefcant
Calliditas, simulat nunc hoc, nunc illud, & anceps

Ambia

Ambiguusq; volat: primūmq; odia aspera, & iras
Invidiamq; Duci creat, vt melioribus aule,
Ipsi etiam patri, quem nondum luce bearat
Omnipotens, carus minus esset. ô improba Vafri
Fraus hostis! mox diuitias opulentaq; regna,
Si veteres ritus atq; Itala sacra sequatur,
Promittit: si fortè neget damnare recentis
Doctrinæ speciem, rursusq; in vota vocare
Indigetes, Latijq; adeò decreta probare,
Exsilium, clades, & tristia damna minatur.

Atq; aliquis Procerum, fandi non inscius, aule,
Mancipium Satane, & Romani verna Bahalis,
Tempora vestigans fandi mollissima, tentat
Hoc sermone Ducem: Regum clarissime sanguis,
Dys genite & geniture Deos, quid fama susurrat
Didita per terras? equidem non credulus aures
Rumori concedo libens, tamen ipsa timorem
Sollicitudo parit, damnoq; occurrere suadet,
Dum furor in cursu est & habent tua cœpta regressum.
Audio te nuper natis erroribus esse
Infectum, sectisq; palàm fatuoq; LVTHERO
Adiunxisse fidem. quò nunc antiqua recessit
Nobilitas animi? quis te malus impulit error
In dubium certa, & dudum concessa vocare?
Tūne Petri sedem, fidei quæ mater habetur,
Insimulas lapsus? tu toti credita mundo
Dogmata, tot Synodis stabilita, patrumq; priorum

Consensu firmata putas fanatica? parce,
Parce tibi, meliusq; animo perpende quod audes.
Caesar, & imperij Proceres, vicinaq; regna,
Immò orbis totus, quiq; ante hæc tempora prisci
Vixerunt homines, Romanæ dogmata sedis
Amplexi nullos vnquam admisere Lutheros.
Pone nefas animo, dum nondum increuit, & illos
Oro, si quis adhuc precibus locus, abijce cultus.
Ira tui zelusq; patris in talibus ausis
Nota palàm, exitium tibi non accerse proteruè,
Desine nos magnis inuoluere teq; periclis.

Talia dicentem iam dudum concitus ira
Adspicit egregius Princeps, moxq; ista profatur:
Quam pro me curam geris, hanc precor, improbe, pro me
Deponas, verumq; sinas pro fraude valere:
Et nos scripta Deo miseris mandante relicta
Lègimus, & nostro sacer est in pectore Flatus.
Ac mihi vel tellus optem prius ima debiscat,
Ante Fides quam te violem, aut pia dogmata linquam.
Et licet obscæno minitetur fulmina rictu
Cerberus, atq; omnes irarum effundat habenas,
Ibo animis contra, nec me vis vlla volentem
Mutabit, non si tellurem effundat in æquor
Cuncta vadis mergens, cælumue in tartara soluat.

Hæc memorans superos ardentius inuocat, omni
Vt posita liceat formidine vera tueri,
Inq; fide sana persistere, siue periculum

Ingruat,

Ingruat, & rabiem Satanas exasperet omnem,
Siue nouas orbis sumat temerarius iras.

His animaduersis, Orcus nil linquit inausum,
Nil intentatum: Furias, infernaq; monstra
Conuocat, atq; vni tibi mille creare nocendo
Damna iubet. Sed dextra Dei compescuit hostem,
Nequicquam caedes, & tristia fata parantem.

Interea tali rerum discrimine creuit
Cognitio verbi, patefactaq; caelitus aura
Clarius illuxit votis precibusq; vacanti,
Mens immota manet, nec fulmina bruta tremiscis.

Moxq; per Europæ rumor dispergitur vrbes,
Multa tuo super ingenio, super indole multa
Constantiq; animo memorans: placet omnibus Heros
IVLIVS. illi annos, & mitia fata precantur.
Dij patrij, quorum sub numine Teutonius ora est,
Non tamen omnino miseros delere paratis,
Cum tales animos iuuenum, & tam sancta dedistis
Pectora: sic fati votis vota altera nectunt.
Cresce Deo, patriæq; tuæ, Dux inclite, cresce:
Nec quisquam Arctoa princeps de gente vetustos
In tantum spe tollet auos, nec Guelfica quondam
Vllo se tantum stirps commendabit alumno.
Te duce, si qua manent errorum semina templis,
Irrita perpetua soluent formidine terras:
Principe te facies rerum iucunda redibit,
Cessabitq; nefas, tum belli finis & ira

His

His dabitur terris, atq; omnia tuta vigebunt:
Tum pudor, & probitas, libertas cara, fidesq;
Gaudentes fora lata colent & strata viarum.

Talia fatidico prædicunt carmine Vates,
Grandæniq; senes: applaudit vulgus, & orat,
Hunc aurora diem, tam commoda sancta ferentem,
Quamprimum croceis portet festina quadrigis.

Vota valent oblata Deo, precibusq; mouentur
Fata pijs: melior fortuna aspirat IVLO.

Nam postquam fratres geminos, duo fulmina belli,
Abstulit vna dies, tumuloq; locauit eodem,
Omnis in hunc redijt patry possessio regni.

Iamq; Parens, fato cedens, finiuerat iras,
Quas à sacrificiis quondam deceptus alebat.

Ille, volens lapsi generis sarcire ruinam,
Coniugij nato fuit auctor, & ocyus illi
Egregiam forma nympham, de gente vetusta,
Connubio iunxit stabili, propriamq; dicauit.

O qàm coniugij fuit isthæc copula felix!
Quot partu dedit illa mares, nymphasq; venustas,
Spes generis Guelfi, spes & Germanidos oræ!

Viderat Henricus iam cara ex prole nepotem,
Viderat & neptes: vbi cura fessus, & annis
Incidit in morbum, cuius violentia mortem
Attulit exhausto: tum regni sceptrum paterni
IVLIVS adgressus vatum prædicta piorum
Omina compleuit, spesq; amplius auxit opimas.

Nam

Nam postquam, Heroum magna stipante caterua,
Condiderat tumulo cineres atq; ossa Parentis,
Rectius vt tantis succedere posset habenis,
Quid factò primùm sit opus deliberat, illum
Hæ curæ exercent, noctuq; diuq; fatigant:
Præua superstitione vt purgatis cedat ab aris
Religio neuos inuictaq; somnia ponat:
Pax etiam stabilis pacatas incolat vrbes.

Talibus intentus rebus cælestia sensit
Auxilia, & sancti Christo moderante labores
Euentus habuere suos: informis & excors
Geryonis Latij doctrina, fidesq; nefanda,
Monstrum horrendum, immite, ingens, cui fulmen in ore,
Quod neq; fas igni cuiquam ferrone domare,
Fortiter oppressum tota dititione fugatum est.
Tunc videre p̄ rasos hinc inde Lupercos,
Ignauum pecus & fruges consumere natos,
Linquere pollutum hospitium, vacuosq; penates.
Tum dolus, & diri fraudes patuere Babalis,
Hesperios reges quibus infatuauerat, vdis
Poela venenato miscens viciata sapore.
Excessere adytis idola laresq; nefandi
Suppositi templis, ceciderunt sacra Maosim,
Proh bustum fidei! proh veræ turbo salutis!
Hæc monstra, has fœces, & inenarrabile textum
Fraudis inaudita, Christo magna ausa regente,
Amphitryoniades velut alter ab æthere missus,
Funditus elisit: frustra indignante Latina

F

Thaide,

*Thaide, blanditijs quæ mollibus vsa, morari
Egregios ausus, & cœpta salubria nisa est.
Præualuit fortuna Ducis, cœlestibus aucta
Subsidijs, nihil ille minis, nihil ille mouetur
Illecebris, maturat opus sat agitq̃ laborum.
Nec prius absistit, vicio quàm immunis ab omni
Relligio priscos capiat purissima vultus.*

*Tunc mundo fuit illa dies sanctissima, Solis
Tum inbar affulsit melius, gauisq̃ latè
Arua dedere sonum, quæ corniger irrigat Albis,
Quæ Sala, quæ Rhenus, qua spumifer Allera lambit,
Et qui Saxoniam disternat amne Visurgis.
Nam quis læticiæ posset modus esse? beata
Omnia florerent cum conditione, per vrbes
Pax oleis redimita comas viridantibus iret;
Relligio sordes abstergeret, almaq̃ rerum
Copia fecundo ferretur in omnia gressu.
Vix lacrymas tenuère senes, elapsa subindè
Tempora voluentes animis genibusq̃ minores,
Ne qua iterum infelix fati violentia tempus
Eriperet præsens demissa voce rogarunt.
At chorus Aonidum, dulcesq̃ ante omnia Musæ,
Fida quibus meritiæ custodia credita famæ,
Hæc cedro inscribunt, vt postera noscitet ætas
Virtutes meritumq̃ Ducis sacliq̃ prioris
More Pij Magniq̃, vocant cognomine IVLV M.*

*Rettulit ergò vicem Musis, quas semper amarat,
A teneris etiam, quarum succensus amore,*

Ad vetero

*Ad vetères Vbios & Belgica mœnia cessit.
Ausus quinetiam Rhodani superare fluenta,
Felices adijt terras, vbi Sequana stringit
Atria, quæ Musis operosa Lutetia struxit,
Atria nil regum domibus cessura superbis.*

*Postquam Relligio iam defæcata vigeret
Omnibus in templis, quali vix integra cultu
Luxit Apostolici post actum temporis orbem:
Deerat adhuc patrijs Academia finibus, omnis
Doctrinæ Oceanus fidei morumq; theatrum,
Vna scaturigo doctrinæ artisq; palæstra.
Hæc igitur tacito versabat pectore Princeps:
Exsulibus Musis fundare palatia, sancti
Principis officium est, neq; res magis utilis vlla,
Quàm nutrire scholas: hæc sunt plantaria Christi,
In quibus ille suos monitis informat alumnos,
Officijsq; olim reddit grauioribus aptos:
Curia siue operam, seu sancta Ecclesia poscat:
Hic thesaurus abest nostris regionibus. vnde
Vnde petenda igitur nobis, si forte necesse est,
Copia doctorum? faueant modò numina viuo,
Hæc quoq; res curæ nobis erit, inclita condam
Atria desertis, hoc tristi tempore, Musis.*

IVLIADAS q; meo nomen de nomine dicam.

*Hic mihi nec sumptus, nec magni cura laboris
Obstabunt, vincam dura omnia laudis amore.*

*Hic mihi dulce lucrum censebo profundere census
In iuuenum cætus, quorum virtutibus obstat*

Res angusta domi: si quem Germania claro
Tollit honore virum, si cui dat gloria nomen
Noster erit, nostriq; etiam pars vna Lycei.
Hæc famam mihi facta dabunt, hoc nomine Musis
Numinis instar ero, perq; omnia secula viuam.

Haud mora consilijs, animo meditata sagaci
Efficit, & tantis ponit fundamina rebus
Cæsaris auspicijs; surgunt noua mœnia cælo,
Conueniunt iuuenum cætus iuuenumq; magistri,
Sumptibus acciti largis, operasq; laborum
Suscipiunt: leges his **I V L I V S** addit, vt artes
Tradende, vt cætus tanti ratione regendi.
Cœlitus adfulsit domini benedictio larga,
Solertiq; fide doctorum, atq; arte magistra,
I V L I A cum multis certauit nostra Lyceis

Hoc fuit officium & munus, Dux magne, secundum,
Quo patriam ornasti, quo immania facta tuorum
Maiorum superas. nihil hic crudelia bella,
Victi hostes, cæseque manus partiq; triumphi.
Cedant arma togæ, maiorum facta nepoti.

Cætera nunc, confecta tibi cum laude, relinquam,
Contentus memorasse parum, nam præside Christo,
Maius opus tentabo, tuasq; ex ordine laudes
Expediam scriptis, quæ postera forsitan ætas
Audiet, atq; vna vatem cum principe noscet.

At quæ pro cura, pro sollicitudine tali,
Præmia soluerunt Superi tibi? maxima certè;
Nam neq; magnanimi post damna in festa **LEONIS**,
Quem

Quem furor inuidiæ rabiesq̄ occulta subegit,
Tantum liuor edax valet & mens agra malorum!
Saxonie Princeps vixit locupletior alter.
Tu diuus ceu sydus eras Germanidos oræ,
Imperijq̄ sacer clypeus: te barbarus hostis
Horrebat latè regem censuq̄ potentem:
In te oculos omnes referebant vndiq̄ gentes.
Litibus exortis si controuersia quedam
Mota erat, arbitrium tibi commendare solebant
Externi reges, tua nec consulta putabant
Vltima. talis eras patriæ populisq̄ remotis.

Quid loquar egregiam sobolem? preciosior illa
Auro omni, quod Iberus habet, quod Pannonis ora
Eruit, ingenij seu spectes dona virentis,
Seu validos membrorum artus & robora laudes:
Omnia magnificum quiddam & cœleste laborant.
Mascula vis illis insedit, & ardua spirant
Virtutis patriæ memores, pia numina faxint,
Vt viuant viuesq̄ simul: tua lucet in illis
Effigies expressa, tuo splendore renident.

Aspice nunc quacunq̄ sedes, seu prisca tuorum
Concilia inuisis, magnosq̄ accedis OTHONES,
Seu veteres lustras Iudeo à semine reges:
Aspice magne Parens, tua vota implentur, & omne
Quod viuo arridebat habes, successor adæquat
Te meritis, ducente DEO, nullumq̄ recusat
Discrimen tentare sui: facit ocia terris;
Ardet amore Dei, sinceraq̄ dogmata spargi

In vulgus iubet, atq; errorum fraudibus obstat.
Illam admirantur fratres, paribusq; feruntur
Passibus, est animis concordia mutua iunctis.
Par pietas, equata fides, dicemus eosdem
Facta renouentes eadem, tantum instar in illis.

Fallor? an hæc cernens cæli de sede suprema
Letaris præter solitum, taciteq; profaris:
Macti animi Heroës, nostræ virtutis imago:
Dij faciant vincar, longè & maiora ferantur
Nomina vestra meo, quæ fecimus omnia caræ
Suasit amor patriæ, pro qua tolerare labores
Dulce fuit, sumptusq; graues fecisse lucrari.
Hanc etiam ite viam, & quæ me sincera leuauit,
Inq; dies auxit rebus fortuna secundis,
Se nunquam à vobis vestraq; mouebit ab aula.

Hæc sunt, magne parens, nostri fomenta doloris,
O nimium iusti nimium magniq; doloris!
His sine nos mæror gelidus timidiq; pauores
Excederent miseros: his confirmamur, & æui
Alterius requiem tibi nunc gratamur adeptam.
Viue Deo, cuius viuis moriensq; fuisti:
Nulla tui nobis venient obliuia, dumq;
Cætus erit, qui sacra colet preciosa lebonæ,
Dum studys locus, & Musis sua fama manebit,
Mille tuas laudes tentabunt carmine Vates,
Multaq; perpetui ducent in secula fasti.

O amor, ô desiderium, ô iucunda voluptas!
Ab vtinam, functo tibi quod promittimus, omne,

Atq;

Atq̄ etiam maius, viuo præstare liceret.
Non licet; immitis prohibemur numine fati,
Ab verè immitis! recreant solatia mentem
Eloquijs monstrata Dei, dolor attamen urget
Improbis, & madidis angustia pectoris instat.
Heu quantum est summum patriæ sepelire Parentem!
Heu quantum est vultus amittere Principis almi!
Heu quantum est opera sancti caruisse Patroni!
Hic dolor exossat, crudo hic bibit ore medullas.

O decus ætherium, terrarum gloria quondam!
Salve sancte parens, interq̄ micantia cæli
Agmina carpe novos, culpa mundatus, honores.
Disce pios illic reges, quos prisca tulerunt
Tempora, Theodosios, Carolum, Henricumq̄ Leonem,
Et Constantinum: studium quibus acre tueri
Exiguos cætus cælestia sacra professos.
His tua te pietas sociavit, & æqua laborum
Præmia decernit: fruerè ò sanctissime Princeps
Æternum fruerè atq̄ animum cælestibus exple
Delicijs, ò summus honos, ò sancta voluptas!
Salve sancte Parens patriæ, æternumq̄ valeto.

At tu qui patry frenos moderabere regni,
Nomine auum referens, animo studijsq̄ parentem,
Inclite Dux, patrios feliciter accipe fasces.
Aggredere ò magnos, maioribus aptus, honores:
Scande super titulos, & splendida facta tuorum:
Incipe concussis iam nunc succurrere rebus:
En tibi gratantur passim cælumq̄ solumq̄.

O nimi-

Onimium dilecte Deo! tibi seruiat orbis,
Et coniuratis oneretur dextra sceptris.
Ex quo terra parens homini sua pabula nato
Hospitiumq; dedit, nunquam perfecta bonorum
Sors vlli concessa viro, valet artibus ille
Ingenijq; bonis, sed, corpore debilis, impar
Redditur ad creperi violenta negotia Martis.
Cui facies corpusq; decens, is crimine mores
Inquinat: ardentem virtute lacescere priscos,
Res accisa vetat: partitum singula queng;
Nobilitant; hunc oris honos; hunc gratia fandi;
Hunc pietas animusq; nitens, hunc copia rerum,
Inconcussa fides alium: sparguntur in omnes
In te mixta cadunt, & quæ diuisa beatos
Efficiunt sociata tenes. age dotibus illis
Vtere, quod facis, & cælo te laudibus infer.
Hanc primum tutare domum, defende Iehouæ
Agmen inops, sine sede vagans: compeste tyrannos,
Pax quibus atq; salus odio: sic fœdera tecum
Prosperitas ineant pietasq; ignara moueri:
Hæc illam regat, ac felici tramite ducat,
Principis vt sancti sis ac sapientis imago.

F I N I S.








VD16/
P
Y1





E X E Q V I A E .

H O N O R I E T
M E M O R I A E D I V I I V .
L I I , D V C I S B R V N S V I C E N -
S I S E T L V N A E B V R G I I ,

&c.

F a c t a e

A u c t o r e

M. H E N R I C O M E I B O M I O ,
a c a d . I u l i a p r o f e s s o r e .

11. I u n i j .

